



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Vita Stephani Papae VI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

ANNO CHRISTI  
897. **tus effodiantur , atque in tali loco proiiciantur , vbi nunquam a cultoribus suis inueniri possint. Et omnibus annuntietur , quantum scelus sit idololatria: & quod qui hæc veneratur & colit , quasi Deum suum negat , & Christianitati abrenuntiat , & talem pœnitentiam inde debet suscipere , quasi idola adorasset. Omnibusque interdicatur , vt nullus votum faciat , aut candelam , vel aliquod munus pro salute sua rogaturus alibi deferat , nisi ad ecclesiam Dominu Deo suo. Scriptum est enim : *Vonete & redite Domino Deo vestro.* Nouimus siquidem quanta Dominus antiquo populo per prophetas suos interminatus est , qui in lucis sacrificabant , & in excelsis immolabant. Si quis hoc transgressus fuerit , fidem perdidit , & est infideli deterior. Et idcirco omnimodo a sanctæ ecclesiæ confortio abscedatur , & nisi digne pœnituerit , non recipiatur.**

NOTA IACOBI SIRMONDI  
SOCIETATIS IESV.

\* *Concilium Namnetense.* ] De epocha huius Concilii sine auctoritate pronuntiare difficile est. Sed cum duo eius Canones , III. & x. inde translati videantur in librum VII. capitularium , antiquius omnino dici necesse est , quam existimarint ii , qui sub annum Christi DCCCC. collocandum censuerunt. Quod si quis ad Concilium illud Namnetense referri velit , quod Vitaliani papæ temporibus sub annum DCLVIII. magna episcoporum frequentia celebratum ex Flodoardo didicimus , liberum esto iudicium.

VITA  
STEPHANI PAPÆ VI.

ANNO CHRISTI  
897. **S**TEPHANVS sextus successit Formoso : Bonifacius Bonifacius  
inuafors-  
dis. enim , qui inuadens sedem apostolicam tenuit eam diebus quindecim , non est numerandus inter pontifices;

vtpote qui velut homo nefarius iam antea bis gradu depositus , primum a diaconatu , ac deinde a presbyteratu in Romana Synodo sub Ioanne papa IX. damnatus fuit. Et quamquam vterque per vim , metum & tyrannidem sedem adepti fuerint , adeoque intrusus pariter intrusum expulerit ; tamen Stephanus in numero & serie pontificum communi sententia numeratur , quia ad periculum schismatis auertendum , illum , quamquam homo scelestissimus esset , vniuersus clerus approbavit , totaque ecclesia catholica pro Christi vicario & successore Petri agnouit. Nam cum Fulco Rhemensis archiepiscopus eum Formoso surrogatum intellexisset , obsequiis & officiis , quæ recens creatis pontificibus exhiberi solent , scriptisque ad eum literis , teste Flodoardo , etum veneratus est : non ignorans se etiam in successoribus indignis Petrum ac Christum venerari , si iisdem debitum cultum & obedientiam deferret : contra vero in iisdem eosdem spernere , si quam debebat reuerentiam non exhiberet.

*Acta Ste-  
phani.*

*Onuphrius  
redargui-  
tur.*

Pontificatum auspicatus est a sacrilegio illo , quo corpus Formosi exhumatum , sacerdotalibus indumentis induitum , tribusque digitis mutilatum , in Tiberim proiecitus , omnesque ab eodem ordinatos iterato consecrari & ordinari præcepit. Miror qua ratione Onuphrius in annot. ad Platinam hanc rei gestæ historiam tamquam fabulosam plane reiiciat ; cum præter antiqua monumenta & synodalia acta , de quibus infra sub Ioanne IX. Luitprandus libro primo capite octauo eamdem his verbis manifestissime describat & detestetur : Formoso defuncto , inquit , atque Arnulpho in propria reuerso , is qui post mortem Formosi papa constitutus est ( Bonifacius nimirum de quo supra ) expellitur , Sergiusque papa ( memoria lapsus Luitprandus in nomine errat) per Adelbertum constituitur. Quo constituto , vt impius doctrinarumque sanctorum inficius , Formosum e sepulcro extrahi , atque in sede pontificatus sacerdotalibus vestimentis indutum collocari præcepit , cui & ait : Cum Portuensis essem episcopus , cur ambitionis spiritu Romanam vniuersalem sedem usurasti ? His expletis , sacratis exustum vestimentis , digitisque tribus abcisum in Tiberim iactari præcepit , cunctosque quos ipse ordinauerat , gradu proprio deposi-  
tos

tos iterum ordinavit. Quod quam male egerit, pater sanctissime, animaduertere poteris; quoniam & hi, qui a Iuda Domini nostri Iesu Christi proditore ante proditionem salutem seu benedictionem apostolicam percepérunt, ea post prodicionem, propriique corporis suspensionem minime sunt priuati, nisi quos improba forte defcedarant flagitia. Benedictio siquidem, quæ ministris Christi impenditur, non per eum qui videtur sacerdotem infunditur; neque enim qui rigat est aliquid, neque qui plantat, sed qui incrementum dat Deus. Quantæ autem auctoritatis, quantæque religionis papa Formosus fuerit, hinc colligere possumus, quoniam dum a piscatoribus postmodum esset inuentus, atque ad beati Petri apostolorum principis ecclesiam deportatus, sanctorum quædam imagines hunc in loculo positum venerabiliter salutarunt. Hoc namque a religiosissimis Romanæ urbis viris persæpe audiui.

Addidit culpam culpæ Stephanus papa, quando collecta Synodo nefarium, impium & detestandum facinus approbavit. Ipsi enim lapides tale portentum execrati, sua tunc voce mutua collisione clamarunt, spontaneam libenter pati ruinam, quam ut Romana ecclesia tanto scandalo depresso maneret. Accidit tunc ut sacrosancta basilica Lateranensis, primaria pontificis sedes, impulsore angelo malo ab altari usque ad portas prostrata corruperet; quia nequaquam stare poterant parietes, dum prima cardinis petra tanti facinoris terræmotu concussa fuisset. Sacrilegi pontificis facinus, quo a defuncto poenam inique exegit, quove legitime collatos ordines contra Christi institutionem & Dei mandatum repetiuit, nouatores hereticæ nostri temporis nobiscum recte quidem redarguunt & detestantur; verum contra promissiones Christi Petro & ecclesiæ factas, propter illud factum impium male insurgunt, & præmature nimis de victoria gloriantes triumphum agunt. Omnia enim quæ Stephanus contra Formosum dixit vel egit, homo furorè percitus egit, implens id quod exæstuans rabies suasit. Pontificiavero auctoritate legitime usurpata nihil contra fidem vel bonos mores definit. Nam qui hac de causa ad Synodus conuocati sunt episcopi & presbyteri Stephano non dissimiles, simili odio Formosum prosequabantur, adeoque in eamdem senten-

Formosi innocencia miraculose probata.

An Stephanus papa in fide errauit.

*Concil. Tom. 24.*

S l l f

tiam pronuntiarunt, quam homini furore percito gratam fore præsciebant. Vnde hac in re violentam quidem tyrannidem in facto agnoscimus, errorem autem in fide per Stephanum pontificiam auctoritatem legitime usurpantem definitum vel approbatum fuisse constanter per negamus; quamquam nihil sedi apostolice præiudicaretur, si daremus inuasorem non legitime electum, sed intrusum pseudopontificem in articulis fidei afferendis aberrasse. Huius temporibus, post Arnulphum regem Germaniæ pediculari morbo extinctum, Vvidonem imperatorem obiisse testatur Luitprandus lib. i. cap. 9. Stephanus sedis apostolice inuasor, ab optimatum factione aduersus Adelbertum Etruriæ principem prævalente detrusus est in carcere anno Christi 900. & postquam sedem apostolicam sex annis tenuisset, in eodem carcere strangulatus Deo vindice exitu infami vitam clausit. *Hæc ex antiquis monumentis & diplomatibus de Stephano Baronius tom. io. annalium.*

---

## CONCILIABULVM ROMANVM IN CAVSA FORMOSI PAPÆ CELEBRATVM anno Domini DCCCXCVII.

### NOTA.

*Acta Conciliabuli.*

\* *Conciliabulum.* ] In hac Pseudosynodo, cuius acta recitantur infra in Concilio Romano sub Ioanne IX. episcopi & cardinales presbyteri, qui summo odio Formosum prosequebantur, Sergius nimurum, Benedictus, atque Marinus, aliquique plures homines perditissimi & pontificiæ sepulturæ violatores in unum congregati, ea quæ supra de Formoso enarrata sunt dijudicarunt. Baronius anno 897. numero 6.

---

## VITA ROMANI PAPÆ.

Romanus quando pontifex factus?

**R**OMANVS patria Galeianus, patre Constantino natus, factus est pontifex anno Domini 900. Sedit menses quatuor & dies viginti. Acta Stephani contra Formosum habita plane improbavit, & Ludouicum quartum

ANNO  
CHRISTI  
900.